



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

III. De honore, cultuque Dei & ecclesiarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

ANNO
CHRISTI
SS. bus intereat populus, videmus. Cuius hoc nisi nostro præcipue peccato agitur ? ecce depopulatæ vrbes , euersa castra , ecclesiæ ac monasteria destrœta , in solitudinem agri redacti sunt : sed nos pereunti populo auætores mortis existimus , qui esse debuimus duces ad vitam. Ex nostro etenim peccato populi turba prostrata est , quia faciente nostra negligentia ad vitam erudita non est. Pensamus ergo , qui vnquam per linguam nostram conuersi de peruerso suo opere , nostra increpatione correpti pœnitentiam egerunt , quis luxuriam ex nostra eruditione deseruit , quis avaritiam , quis superbiam declinavit. Hic pastores vocati sumus , & cum ante æterni pastoris oculos venerimus , ibi gregem nostra prædicatione conuersum non ducemus. Sed vtinam , si ad prædicationis virtutem non sufficimus , loci nostri officium in innocentia vitæ teneamus.

III.

De honore & cultu Dei , atque sanctorum ecclesiarum , quæ auctore Deo sub ditione & tuitione regiminis regis nostri consistunt , communiter verbis eius qui dixit discipulis & apostolis suis , quorum licet indigni vicibus in ecclesia sanguine Christi redempta fungimur : *Qui vos audit me audit,*
& qui vos spernit me spernit: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis, Luc. 10.
 dominum nostrum regem monemus , vt sicut tempore antecessorum suorum imperatorum ac regum exultæ & honoratæ , atque rebus ampliatæ fuerunt , salua æquitatis ratione ita permaneant ; &

Concil. Tom. 24.

Ppp ij

quæ sua liberalitate honoratæ atque ditatæ fuerunt, de cetero sub integritate sui seruentur. Et sacerdotes, ac serui & ancillæ Dei, vigorem ecclesiasticum, & debita priuilegia, iuxta reuerendam auctoritatem obtineant: eisque regalis potestas, & illustrium virorum strenuitas, seu reipublicæ administratores, vt suum ministerium competenter exequi valeant, in omnibus rationabiliter & iuste concurrant.

IV.

Vt missi regii per ciuitates, & singula monasteria tam canonicorum, quam monachorum, siue sanctimonialium, vna cum episcopo parochiæ vniuscuiuscumque in qua consistunt, cum consilio etiam & consensu ipsius qui monasterium retinet, vitam ibi decentium & conuersationem inquirant, & vbi necesse est corrigant, & vbi defunt, congruas officinas construere iubeant, & vbi factæ & per negligentiam sunt destructæ, instaurari præcipiant, & victum ac potum, & vestitum, atque cetera necessaria, pro qualitate & possibilitate loci, & inhabitantium necessitate ordinent, & hospitalitatem superuenientium hospitum, & receptionem pauperum ibidem disponant & ordinent: & thesaurum, ac vestimenta, seu libros diligenter imbreuient, & breues regi reportent. Imbreuient quid vnuquisque ecclesiarum prælatus, quando prælationem ecclesiæ suscepit, ibi inuenerit, & quid modo exinde minus sit, vel quid & quantum sit superadditum. Numerum etiam canonico- rum, & monachorum, siue sanctimonialium,